

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7962

Auteur(s) : Mathieu Renart [particulier]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1259, 30 janvier

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Mathieu Renart vend à l'abbaye de la Trappe, pour la somme de dix livres tournois et demie, une rente annuelle de vingt-cinq sous, même monnaie, à prendre sur une pièce de terre sise dans la paroisse de Sainte-Colombe-sur-Rille.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, I. « Carte de Nocumento », n° XLVII, p. 256-257.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego, Matheus Renart, vendidi viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, pro decem libris et dimidia, XXV solidos turonensium annui redditus, quos ego assignavi annuatim habendos et recipiendos predictis religiosis super unam petiam terre sitam in parrochia Sancte Columbe super Rillam, terminis subnotatis, videlicet: in festo sancti Remigii decem solidos, et in Natali Domini quindecim solidos. Que petia terre aboutat superius terre Thome Repile et terre Huberti Le Fesne, et aboutat inferius terris ad Brueres, et adcostat ex una parte terre quam mater mea tenet in dote, et est juncta terris predictorum religiosorum et adcostat antedicta petia terre ex altera parte campo meo de via Monasterii. Et sciendum est quod, si ego vel heredes mei defecerimus a solutione predicti redditus in aliquo predictorum terminorum, predicti religiosi poterunt facere suam justitiam super predictam petiam terre pro habendo predicto redditu et emenda decem solidorum tantummodo. Et si deffecerimus aliquando post quindecim dies post quemlibet predictorum terminorum a solutione predictorum redditus et emende, ex tunc predicta tota terra, prout superius dividitur, ad eosdem religiosos deveniet ad faciendam suam, absque contradictione mei vel heredum meorum, penitus voluntatem. Et si, postquam ad ipsos religiosos predicta petia terre devenerit, Mabilia, uxor mea, post decessum meum, in eadem petia terre dotem petierit, ego assignavi ei et dedi predictum campum de via Monasterii, ut habeat illum et teneat quoad vixerit, pro dote sua terre superius notate. Et ut hoc maneat firmum et stabile in perpetuum, ego dedi predictis religiosis presentes litteras, sigilli mei munimine roboras, per quas ego obligavi me et heredes meos et omnia bona mea, mobilia et immobilia, ad defendendum eisdem religiosis et penitus liberandum ab omnibus predictum redditum et ad agenda et tenenda et penitus liberanda omnia supradicta, me ipsum astringens insuper corporali juramento..... et eosdem religiosos indempnes super hoc conservandos. Ego autem, Haoysia de Loveris, domina capitalis omnium predictorum, omnia ista concedens et rata habens et confirmans, ad precem et petitionem partium, pro salute anime mee et ut fiam

particeps omnium bonorum que in predicta Domo fient, de cetero ad majorem confirmationem, presentibus litteris
sigillum meum apponere dignum duxi. Actum anno Domini M° CC° L° octavo, quarto kalendas februarii.